

## VERSION LATINE

### Tentative d'enlèvement

*Verrès a chargé Rubrius d'enlever la fille de Philodamus – un éminent personnage de la ville grecque de Lampsaque – en se faisant inviter chez ce dernier. À l'occasion du dîner donné par Philodamus, Rubrius insiste pour que la fille de l'hôte vienne. Philodamus devine alors les intentions malveillantes de Rubrius.*

Tum ille<sup>1</sup>, ut aliquid responderet, negavit moris esse Graecorum ut in conuiuio uirorum accumberent mulieres. Hic tum alius<sup>2</sup> ex alia parte : « Enim uero ferendum hoc quidem non est ; uocetur mulier ! » Et simul seruis suis Rubrius ut ianuam clauderent et ipsi ad fores adsisterent imperat. Quod ubi ille intellexit, id agi atque id parari ut filiae suae uis adferretur, seruos suos ad se uocat ; his imperat ut se ipsum neglegant, filiam defendant ; excurrat aliquis qui hoc tantum domestici mali filio nuntiet. Clamor interea fit tota domo ; inter seruos Rubrii atque hospitis iactatur domi suae uir primarius et homo honestissimus ; pro se quisque manus adfert ; aqua denique feruenti a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Haec ubi filio nuntiata sunt, statim exanimatus ad aedes contendit, ut et uitae patris et pudicitiae sororis succurreret ; omnes eodem animo Lampsaceni, simul ut hoc audierunt<sup>3</sup>, quod eos cum Philodami dignitas tum iniuriae magnitudo mouebat, ad aedes noctu conuenerunt. Hic licitor istius<sup>4</sup> Cornelius, qui cum eius seruis erat a Rubrio quasi in praesidio ad auferendam mulierem collocatus, occiditur ; serui non nulli uulnerantur ; ipse Rubrius in turba sauciatur.

CICERON

---

<sup>1</sup> *ille* désigne ici Philodamus.

<sup>2</sup> *alius* désigne un complice de Rubrius, lui aussi invité au dîner.

<sup>3</sup> *audierunt* = *audiuerunt*.

<sup>4</sup> *istius* renvoie à Verrès.